

ADNOTATIO XVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XII. § IV. n. 106.
pag. 100.

DE RESERVATIONE PARTIS FRUCTUUM IN COLLATIONE BENEFICIORUM. PRÆSCRIPTA SANCTÆ SEDIS CIRCA RECTAM BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONEM.

« Summa decretalis *Ut nostrum*, hoc titulo, est quod generalis regula, in jure canonico statuta, sit ut a collatore beneficii, sive episcopus sit sive patronus, sine diminutione, hoc est, sine nova reservatione alicujus partis reddituum conferantur. Ubi autem ea reservatio non est nova, sed jam pridem introducta, distinguendum est an sit solum ad tempus, non vero in perpetuum, neque in favorem collatoris aut patroni, sed ex alia justa et necessaria causa, qualis esset si ex canonicatibus vel beneficiis reservaretur portio fructuum ad reparandam fabricam propriam Ecclesie beneficiati, vel ad exsolvendum æs alienum ab eo contractum ex aliquo infortunio; vel utrum reservatio jam antiquior facta fuerit in perpetuum, ita tamen in quolibet vacatione, interveniente novo pacto, seu contractu collatoris vel patroni cum recipiente beneficii, ut iis respective cedat annuatim, vel primo anno, partem illius proventus. Primus modus reservationis licitus est, posterior vero prohibitus tanquam suspectus et laborans generali periculo simoniæ, jure tam naturali quam divino interdictæ. (Giraldi, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 439. »)

Renuntiatio beneficii conditionata in favorem certæ personæ cum reservatione pensionis aut fructuum, vel cum reservatione accessus et regressus, prohibita est tum a jure communi can. 5. *Plerique*. caus. VIII. quæst. I. et cap. un. *Ut beneficia*, tum a Conc. Trident. cap. VII. sess. XXV. *de Reform.* et constitutionibus S. Pii V *Cogit nos*, 13 martii 1567, et *Romani Pontificis*, idib. sept. 1571. cujus communis juris sanctioni Summus duntaxat Pontifex de plenitudine possessatis derogare potest.

« Præterea, inquit Giraldus, in constitutione Benedicti XIV, *In sublimi*, 29. aug. 1741, damnantur et annullantur pacta cassationis pensionis reservatæ in beneficiorum resignatione, contemporanea ipsi resignationi, per anticipatas vel anticipandas solutiones: sicuti et omnes cassationes ac abolitiones pensionum per anticipatas solutiones obtente intra sex menses a capta possessione beneficii, etiamsi probari nequeat ullum præcedens pactum intervenisse, et cassatio secuta fuerit vigore supplicationis a Papa signatæ quæ ut subreptitæ obtenta declaratur. Insuper tam resignans quam resignatarius, ipso facto et absque alia declaratione, privantur beneficio et declarantur inhabiles ad alia assequenda, sub pœna resignatario restituendi, et quidem sub peccato gravi, pecuniis cassatione hujusmodi pensionis simoniacæ

perceptas, applicandas arbitrio ordinarii locis piis vel pauperibus. Irritantur denique cassationes seu translationes commodi aut utilitatis percipiendi fructus pensionum factæ intra sex menses a capta possessione; et etiam ultra aliud temporis spatium, si constiterit hoc pactum præcessisse. Hæ eadem irritatæ confirmantur in alia ejusd. Pontificis constitutione, *Ecclesiastica*, 15 jun. 1746. (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 72. »)

Licitas esse reservationes de fructibus beneficiorum supra diximus, et reipsa Benedictus XIII, constituit. *Pius et misericors*, quarto id. maii 1725, pro Italia et insulis adjacentibus statuit mediam annuatim solvendam esse pro una vice a parochis, canonicis et beneficiatis pro fabrica cathedralis et collegiatæ ecclesie; ex qua constitutione depromere juvat admonitiones et dispositiones sequentes, licet aliquantisper a proposito præsentis alienas. Quæ dispositiones summam et plane Sede apostolica dignam sapientiam redeleat.

« Ut autem, inquit prælaudatus Benedictus XIII, præmissa quæ ad consulendum debito metropolitanarum et cathedralium, ac collegiarum ecclesiarum decori disposita dignoscuntur suum sortiantur effectum, præcipimus et mandamus quod mediæ annuatæ hujusmodi deponantur penes personam idoneam, ab episcopis cum scientia et consensu capitulorum deputandam, et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi reparationi ecclesie, investiantur et collocentur in stabilibus et fundis, seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis, ac, ubi fieri poterit, in locis montium cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricæ singularum ecclesiarum prædictarum, ac ejusmodi dotium annuus proventus non in alium usum quam reparationis, conservationis et manutentionis fabricæ earumdem ecclesiarum, ab uniuscujusque præsulibus, cum scientia pariter et consensu suorum capitulorum, in occurrentibus casibus erogetur; et quotiescumque dictas ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum fructus dotium prædictarum in aliis stabilibus, fundis et capitalibus tutis atque fructiferis ac respective in aliis locis montium eodem prorsum modo reinvestiantur et collocentur ad hoc ut ipsæmet dotes majora in dies benedicente Domino suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis fabricæ ipsarum ecclesiarum oneri satis esse possint.

« Cæterum super præmissis omnibus, ac præsertim super iis quæ rectam et fidelem præfatorum dotium administrationem respicient, archiepiscoporum, episcoporum et prælatorum inferiorum, atque etiam capitulorum conscientiam peculiariter et districtè oneramus. Ac insuper quoties archiepiscopi, episcopi, vel ordinarii inferiores ac respective capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut, vel ratione minus fidelis idoneique depositarii, aut causa non facti vel minus tuti et exinde deperdit

ADNOTATIO XIX.

investimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod præjudicium emerit patrimonio fabricæ, ipsi archiepiscopi, episcopi, vel ordinarii inferiores et respective capitula, et singuli canonici qui defecerint, eorumque hæredes et successores, teneantur ad omnia damna et interesse favore prædictæ fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint et specialiter hypothecata favore ejusdem fabricæ. »

ADNOTATIO XVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XIII. De rebus ecclesiæ alienandis vel non; § II, n. 22, pag. 104.

EX CONCESSIONE PII VII BONA ECCLESIASTICA, TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ ALIENATA, IMMUTABILIA REMANENT PENES IPSOS QUI ILLA ACQUISIVERUNT.

Necessitas atque utilitas Ecclesie, juxta auctoris nostri sensum, sufficienter explicant Pii VII agendi rationem erga illos qui injuste, tempore perturbationis Gallicæ, bona ecclesiarum acquisiverant. Ea de re, in celebri conventionem, 15 julii 1801, legitur articulus XIII: « Sanctitas Sua, pro pacis bono felicitate religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesie alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se neque a Romanis Pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. » Propter quod in litteris apostolicis *Ecclesia Christi*, 15 aug. 1801, ad universos Galliarum populos directis, idem Pontifex hoc enarrat: « Constantes in proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi ad quæ, salva religione, descendi potest, ut etiam pro viribus nostris tranquillitati Galliarum cooperemur, quæ denuo totæ turbarentur, si bona ecclesiastica alienata iterum essent repetenda, et ut, quod potissimum est, felix catholice religionis restitutio fiat, predecessorum nostrorum exempla sectantes declaramus eos, qui bona ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a nobis, neque a Romanis Pontificibus successoribus nostris, ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. »

ADNOTATIO XIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XIII. § II, n. 44.
pag. 107.

DE EMPHYTEUSI QUOAD BONA ECCLESIASTICA; DE NON DIVIDENDIS EISDEM UT FIANI ALIENABILIA; DE BONIS MODICI VALORIS, ET DE CESSIONE FRUCTUUM.

« Hodie, attenta constif. *Ambitiosæ*, emphyteuteri nequit sine beneplacito apostolico, etiamsi

agatur de valoris exigui annuo redditu, puta juliorum septem, ut declaravit congr. conc. in *Prænestina emphyteusis*, 13 jan. 1715, Decretor. lib. LXV.

« Emphyteusis ecclesiastica, cujuscumque valoris sit, hodie et consuetudine et stylo congregationum Episcop. et regular. ac Concilii, non permittitur in perpetuum, sed usque ad tertiam generationem masculinam duntaxat. Et si emphyteuta in mora sit pro solutione canonis, conveniendus est coram iudice ecclesiastico, ut declaravit congr. Conc. *Marsorum*. 40 maii 1631, Decretor. pag. 432, ad II.

« Subnectuntur hic decreta congr. Conc. et episcoporum. et regular. prout referuntur in appendice synodi Sanctis-Lanucci episcopi Civitatis Castellane et Hortane sub n. XXXV, celebratæ anno 1756.

« Decretum congr. Concilii super bonis ecclesiarum ad livellum concedendis in *Parmen*. 7. oct. 1602. I. Bona ecclesiastica, quæ excedunt valorem annui redditus quinquaginta ducatorum, non possunt dividi, ad hoc ne diminuatur valor et reducat infra quadraginta ducatos, ut res fiat alienabilis. II. Non possunt bona ecclesiastica hujusmodi alienari, ipsis rectoribus ecclesiarum nec eorum consanguineis et affinibus usque ad quemcumque gradum. III. Sicut non possunt alienari parochorum et rectorum domus, ita prohibentur etiam ne alienentur prædia vicina et contigua ipsis ecclesiis. IV. Placet etiam ut reddatur prohibitio locationis omnium locorum piorum ultra triennium anticipata solutione. Et, facta relatione, Sanctissimus Dominus Noster annuit et mandavit expediri breve, 7. oct. 1602. Hieronymus Aguccius, secretarius.

« Altro decreto della S. Congr. de vescovi sopra le concessioni enfiteutiche.

« All' arcivescovo di Genova, li 12 febr. 1597. Se gli ordina far dichiarazione per decreto particolare nel prossimo sinodo, ed inculcare in visita che a nessuno di qualsivoglia stato, e condizione, sia lecito locare, investire, o in qualsivoglia altro modo concedere ad altri beni devoluti alle chiese, se ben soliti concedersi per il passato, se non colle debite solennità, e con quell' aumento e vantaggio d' affitto canone, o livello maggiore che sia possibile, avuto riguardo allo stato presente, ed a quello che per l' addietro se ne sia cavato, come vuole la ragione: sotto pena della nullità de' contratti ed altre imposte de' sacri canoni e costituzioni pontificie, contro quelli che distraono beni di chiese, o che l' acquisto senza le debite solennità; anzi che, potendosi senza far molto strepito, si deve procurare di recuperare i beni già fatti migliori e devoluti alla chiesa, e poi concessi per l' istesso prezzo di prima, per che queste convenzioni secundo la Rota sono nulle.

« Condizioni che si richiedono nelle dette concessioni, in altri decreti della medesima: I. Per

» concedere licentia di dar beni ecclesiastici in enfiteusi, bisogna saper prima come e da quanto tempo sono devoluti. *Aprunt.* 6 martii 1602. » II. Le qualità e vero valore delle case o terreni da concedersi in enfiteusi, et loro annuo frutto. » III. Che vi sia pronta occasione di chi voglia pigliare in enfiteusi. IV. Se l' istanza venga fatta con parere e consenso capitolare. V. Se le case siano ruinate, ovvero i terreni lontani e separati dagli altri beni della chiesa. VI. Se siano gravate di pesi di messe, o di altro legato pio, o soggiacciano a peso e vincolo di veruna sorte. » VII. Con quali condizioni si vorrebbero date in enfiteusi, *Lanciano*, 20 april 1647. VIII. Se apposte le solite cedole, se ne trovi maggior offerta, ovvero qual offerta se ne trovi, *Acquapendente*, 30 sett. 1659. IX. Finalmente, se concedendosi la licentia ne risulterebbe l' evidente utilità della chiesa, et per quali ragioni, *Volterra*, 31 agosto 1647. » (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 444.)

Nota quod per *livellum*, cujus nomen supra in decreto S. cong. Conc. legitur, intelligendum tributum annuum ab emphyteuta solvendum; illud etiam vocatur canon. Macri, *Hierolexic.* Venetiis, 1788, ex typographia Balleoniana. Cf. Adnotationem V. volum. tertii.

« Inter casus a jure permisos, in quibus Paulus II declarat fieri posse alienationem absque beneplacito apostolico, notabis unum esse quando res alienanda est modici valoris, dummodo tamen non sit Ecclesie necessaria et alienatio cedat in ipsius utilitatem, juxta canon. 45 concilii Agathensis celebrati in civitate Agathensi in Gallia anno 506, et 53 relatum a Gratiano, causa XII quest. II. Cui, ex declaratione Congregat. Concil. sub die 11 januar. 1596, neque derogatum fuisse refert Fagnanus in decret. *Nulli*, n. 25, ab hac Pauli constitutione neque a Trid. cap. XI, sess. XXII et sess. XXV, de *Reformatione*.

» Hæc eadem facultas, ex decreto ejusd. Congregat. sub die 17 nov. 1703 relato a Cardin. Petra in *Comment. ad constit.* V. Pauli II, T. XIX, n. 70, competit etiam abbatibus vere *Nullius*, non vero aliis superioribus regularibus, etiam majoribus; quidquid hactenus horum favore firmaverint, quamplures doctores contra expressam declarationem Congr. Episcop. et regularium in *Silvestrina*. Cum enim P. Timotheus Caldarari, prior monasterii Silvestrinorum Saxiferrati, Nucerinæ diocesis, pluribus vicibus alienasset, cum licentia sui generalis, bona ejusdem monasterii usque ad valorem scutorum septuaginta, S. Congreg. ita scripsit Episcopo Nuceria, prout legitur in fine registri an. 1652 dictæ congregationis.

» Nocera, al vescovo, 10 Gennaro 1653 (sic). » Non approvano questi EE. che, circa all' alienazione de' beni de' Conventi, possano li superiori regulari valersi della facultà che, nel canone *Terrulas*, vengono concedute ai vescovi, e parti-

» colarmente dopo il decreto della S. Congr. del Concilio pubblicato nel 1624, per ordine della s. m. di Urbano VIII, ed altri emanati appresso, in esecuzione ne ed estensione di esso. Onde, sebbene D. Timoteo Caldarari, già priore de' monaci Silvestrini in Sassoferrato meriti poca pena per più alienazioni fatte da lui di alcuni beni di quel convento, in tutto di valore di scudi settanta, avendo, come V. S. dice, investito il prezzo, tuttavia non avendo potuto fare con licentia del Generale, hanno l' EE. loro giudicato che egli sia caduto nelle pene *contra alienantes*. Condescendono però benignamente a dar facultà a lei medesima di assolvere dalle censure, perciò incorse, e di restituirlo allo stato di prima, graziandolo delle pene sudette etc... attendendo in tanto di essere informati da V. S. se l' investimento è stato fatto con utile del convento. » Ac proinde eodem die rescriptis: non licuisse et absolvatur.

» Idem etiam rescriptis legitur in registro ejusd. Congreg. die 11 januar. 1692 in causa *Troperin.* diocesis S. Severinæ in Calabria, contra P. Matthaum, ordinis Cisterciensis, videlicet: « S. Congregatio etc., referente Eno Caraffa censuit ab archiepiscopo S. Severinæ absolvendum esse P. D. Matthaum a censuris, remissis cæteris pœnis, et, quatenus compererit contractus fuisse et esse utiles ecclesie, illos confirmandos esse, sin minus, revocandos. »

» Quapropter regulares, quantumcumque exempti, in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia et decreto ordinarii, ut firmat etiam Benedictus XIV, *Instit. Eccles.* LXIX.

» Si autem quæras quæ dicantur res exiguæ vel modici valoris, ex decreto dict. Congr. Episcoporum in *Faventina* 22 martii 1714, relato ab eod. Petra loc. cit. n. 62, ex stylo curiæ dicuntur quæ non excedunt summam viginti quinque scutorum aureorum, hoc est scutorum quadraginta et unum cum obulis viginti quinque monete Romanæ. Quamvis autem Congr. Concil. teste Fagnano in cap. *Nulli*, hoc tit. usque ad ann. 1612 duxerit nihil circa hanc valoris summam statuere, sed deducendum esse ex jure communi, in una tamen *Messanen.* 29 nov. 1613, et *Barensi* 12 april 1692 declaravit posse episcopum concedere facultatem alienandi usque ad dicta viginti quinque aurea scuta. Nec ultra dictam summam alienatio, facta ab ordinario, sustinetur, ut declaravit dicta Congreg. in una *Pap.* 25 maii 1710. Neque suffragatur consuetudo, ut ex aliis ejusdem congr. decretis, relatis a dicto Petra n. 63, a quo solide reprobatatur abusus et dolus quo res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus concedi posse ab episcopis anqui dicitur, cum id fieret in fraudem legis. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 444.) »

» Quoad decretum Urbani VIII supra citatum, cum nonnulli ordines regulares haberent privilegia alienandi sine beneplacito apostolico, eis que sæpe

abuterentur, præd. Pontifex, die 7 sept. 1624, per organum Congr. Concil. promulgavit decretum quo eisdem privilegiis expresse derogatum est.

Nomine alienationis venit etiam venditio fructuum beneficiorum ad vitam, vel ad longum tempus; in constit. Benedicti XIV, *Universalis Ecclesie*, 19 aug. 1741, prohibentur clerici quicumque, « sub nomine alienandi utilitatem et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu et colore, vendere ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus et proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis et nullitatis actus seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis et statutis contra alienantes bona Ecclesie. »

ADNOTATIO XX.

Lib. III. Decretal. Tit. XIII, § III, n. 69; pag. 113.

DE PœNIS CONTRA BONA ECCLESIASTICA ALIENANTES.

« Nota IV, inquit Giraldus, ad incurrendam excommunicationem latam in dicta Pauli constitutione *Ambitiosæ* requiri præsumptionem. Quæ constitutio, (ita Amenus, *De delictis et pœnis*, tom. III, tit. III, § IV, n. 32) juxta DD. Cardin. Zabarel. in clem. I. *De privilegiis*, Navarr. *Manuale*, cap. xxvii, n. 74, Quaranta, verbo *Alienatio*, n. 9, importat temeritatem, malitiam et dolum, quibus non existentibus nec crimen, nec pœna incurritur. Quamvis vero excommunicatio, vi hujus constitutionis, non sit reservata, est tamen reservata Papæ, vi Trident. in cap. xi, sess. XXII, qua ligantur etiam regulares.

» Nota V. Controverti a doctoribus an sæpe dicta constitutio *Ambitiosæ* sit ubique recepta, vel in certis locis consuetudine abrogata ex toto vel ex parte. Quaranta, Piasec. et alii sentiunt esse integraliter receptam per totum orbem. Cajetan. Zypæus, Sarmiento et alii dicunt non esse ubique receptam; imo nullibi extra Italiam, teste Zypæo. Sayrus, Donatus, Reiffenst. Engel, Konig, Navarrus, Vallensis asserunt receptam esse quoad principalem dispositionem, non vero quoad pœnas. Alii tandem dicunt consulendam esse praxim et consuetudinem, vi cujus episcopi Germaniæ et prælati inferiores, sine recurso ad Papam, solent alienare; eorumque alienationes sustinentur ut valide, non obstante juramento de non alienando sine consensu Papæ; ratiocinantes hoc juramentum in materia juris præstitum interpretationem recipere ex jure consuetudinario, tacitamque habere conditionem « si, vel quatenus extravagans a ista usu recepta est. »

« Verum in hoc opinionum conflictu placet ani-

madversio Remigii Maschat, *Instit. canon.* hoc eod. tit. per hæc verba: « Laudabilis tamen et tutus foret juramentum hoc in forma specifica observare; cum non vergat in præjudicium salutis æternæ, cap. 28, *De jurejurando*. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 444.)

» In cap. 2, *Hoc consultissimo*, eod. tit. in 6. sequentia leguntur: « Hoc consultissimo prohibemus edicto universos et singulos prælatos, Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum laicis submittere, subicere seu supponere, absque capituli sui consensu et apostolicæ Sedis licentia speciali, non solum concedendo bona ipsa vel jura in emphyteusim, seu alias alienando in forma et casibus a jure permisis: sed constituendo vel recognoscendo seu profitendo ab illis ea, tanquam a superioribus, se tenere; seu ab ipsis eadem advocando, prout in quibusdam partibus vulgariter dicitur *avouer*, vel ipsos patronos ut advocatos Ecclesiarum seu honorum ipsarum perpetuo aut ad tempus non modicum statuendo. Contractus autem omnes etiam juramenti, pœnæ vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos (quos de talibus alienationibus sine hujusmodi licentia et consensu contigerit celebrari), et quidquid ex eis secutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere ut nec jus aliquid tribuant, nec præscribendi etiam parent. Et nihilominus prælatos, qui secus fecerint, ipso facto ab officio et administratione; clericos etiam qui, scientes contra inhibitionem predictam aliquid esse præsumptum, id superiori denuntiare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia obtinent sic gravata, triennio statim esse suspensos. Laici vero, qui prælatos vel capitula Ecclesiarum seu alias personas ecclesiasticas ad submissiones hujusmodi faciendas hactenus compulerunt, nisi post competentem monitionem, remissa submissione quam per vim vel metum exegerant, Ecclesias et bona ecclesiastica eis submissa taliter in sua libertate dimittant; illi vero qui de cætero prælatos vel personas easdem ad talia facienda compulerint, cujuscumque sint conditionis aut status, excommunicationis sint sententia innodati. Ex contractibus præterea super præmissis, hujusmodi licentia et consensu intervenientibus, hactenus initis, vel quos in futurum iniri contigerit, seu occasione illorum, laici ultra id quod, ex natura contractuum ipsorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non usurpent. Qui vero secus egerint, nisi legitime moniti ab hujusmodi usurpatione destiterint, restituendo etiam ea quæ taliter usurparunt, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: ex tunc ad supponendum terram ipsorum, si opus fuerit, ecclesiasticis interdico libere procedatur. »

« Excommunicatio, inquit Giraldus, hic lata contra usurpantes bona Ecclesiarum non est reservata; sed hodie reservata est Papæ, ex cap. xi Trident. sess. XXII, de *Reformat.* et cap. xvii. Bullæ Cænenæ. Quoad clericos scientes et non de-

nuntiantes, hi non incurrunt pœnam hic inflictam, si probare non possint, nec grave suam damnationem evitare, Thesaur. de Pœnis, verbo *Usurpatio*. cap. II, (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 450.) »

ADNOTATIO XXI.

Lib. III. Decretal. Tit. XVII, de *Emptione et conditione*, § VII, n. 211; pag. 168.

CIRCA MERCATORUM FALLACIAS.

« Ex duobus decretalibus, cap. I. *Placuit*, et cap. 2, *Ut mensuræ*, hoc titulo, clare patet onus avertendi cauponum aliorumque mercatorum fallacias ad episcoporum curas pertinere; hic enim nomine presbyterorum veniunt episcopi qui olim presbyteri dicebantur, can. 24. *Legimus* distinct. XCIII., can. 5 *Olim*, dist. XCV; prout etiam statuitur in l. I. c. *De episcop. audien.* t. ult. c. *Ut nemini liceat in empt. spec.* ne scilicet necessaria tam peregrinis transeuntibus quam aliis quibuscumque vendeant supra commune pretium, pondera mensurasve adulterando, ita in l. LXII. et l. sequenti D. *ad legem Falcidiam*; et contra facientibus pœnitentiam imponendi, ut in cit. decretali *Ut mensuræ*. Verum hanc curam hodie politicis singularum civitatum iudicibus reliquerunt, ita ut in his rebus, ne ullum quidem ecclesiasticæ jurisdictionis vestigium remanserit. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 454.) »

ADNOTATIO XXII.

Lib. III. Decret. § Tit. XVIII, de *locato et conducto*, § I, n. 23; pag. 215.

DE LOCATIONE BONORUM ET JURISDICTIONUM LAICALIUM AD ECCLESIAS SPECTANTIUM.

« Ex constit. Alexandri VII. *In suprema*, 23 april. 1657, prohibentur fieri locationes bonorum Ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, locorum piorum Urbis Romæ consanguineis vel affinis, usque ad tertium gradum, rectorum, gubernatorum, superiorum, etc... curam habentium talium ecclesiarum, nec directe, nec indirecte, sub pœna nullitatis contractuum, amissionis fructuum, emolumentorum inde provenientium et excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ. Si vero pro utilitate dictorum locorum, etc., expediat eas locationes fieri consanguineis et affinis prædictis, fieri debent de consensu capituli, congregationis, etc... respective per secreta suffragia cum duabus ex tribus partibus consentientibus. Quoad capellanos vero, beneficiatos, commendatarios, conservatores, etc., de licentia cardinalis vicarii.

« Item revocanda est constitutio Urbani VIII, *Humana salutis*, 1 nov. 1625, in qua prohibetur omnis alienatio, emphyteusis, infeudatio, locatio ultra triennium jurisdictionum laicalium, seu locorum jurisdictionalium ad Ecclesias, vel pia loca,

etiam laicalia, spectantium, per universam Italiam tantum, etiamsi essent solita concedi in feudum vel emphyteusim, vel nondum incorporata, vel a laicis usurpata, vel nondum devoluta. Item prohibetur remissio caducitatis, et non obstante privilegio quocumque Romani Pontificis, aut consuetudine etiam immemorabili, aut jure communi scripto, et aliis derogatoriis clausulis.

« Contravenire audentes vel præsumentes dictæ prohibitioni incurrunt ex eadem bulla: I. Excommunicationem, si non sunt episcopi vel abbates; non est reservata. II. Episcopi vel abbates incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed non est reservatum. III. Si dicti episcopi vel abbates per sex menses insorduerint in interdicto hujusmodi, incurrunt suspensionem ab administratione Ecclesiarum seu monasteriorum in temporalibus et spiritualibus, sed non est reservata. IV. Capitula, conventus et aliæ universitates incurrunt interdictum. V. Singulares personæ etiam dictarum universitatum, et alii, etiam prælati, qui episcopi vel abbates non sunt, incurrunt privationem omnium officiorum quorum bona alienarunt, et privationem vocis activæ et passivæ, et pœnam inhabilitatis ad prædicta et alia obtinenda. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 444.) »

ADNOTATIO XXIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XVIII, § II, n. 38; pag. 219.

DE PRETIO REMITTENDO CONDUCTORI OB STERILITATEM.

In cap. 3. *Propter*, hoc titulo, legitur: « Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine culpa coloni seu casu fortuito contingente, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari. »

« Hanc decretalem transcribo, inquit Giraldus, ut intelligatur quæ sterilitas attendenda sit ut locum habeat in praxi remissio seu condonatio annuæ pensionis, conductori facienda, hic a Pontifice præscripta. Discrepant quidem doctores in ea determinanda, in quatuor classes divisi; magis tamen recepta sententia, juxta Barbosam hic num. 3 et Azorium, part. III, lib. VIII, de *Locato*, cap. x, tenet eam esse judicandam quando ex fructibus perceptis non potest dimidia pars debitæ pensionis persolvi. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 458.) »

ADNOTATIO XXIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XVIII, § II, n. 51; pag. 221.

DE CONDUCTORE EXPELLENDO.

« Cum inter causas amovendi inquilinum a domo ei locata, a Pontifice cap. 3, *Propter*, hoc titulo,

assignatas, una sit, si distulerit solutionem canonis, id est, pensionis per biennium, nisi celeriter moram purgaverit, juxta praxim tribunalium hodie attenditur jus cæsareum, ita ut non expectandum sit biennium, sed statim expelli possit, si debito tempore pensionem non solverit. Quæ intelligenda sunt in contractu locationis et conductionis, in quo hodie ex praxi communiter recepta purgatio moræ non admittitur; secus est in contractu emphyteusis, ex benignitate Ecclesiæ, ad impediendam caducitatem purgatio moræ semper admittitur. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 458.) »

ADNOTATIO XXV.

Lib. III. Decret. Tit. XIX, de *rerum permutatione*, n. 40; pag. 278.

DE PERMUTATIONE BENEFICIORUM.

« In decretali *Quæsitum*, cap. 4, huj. tit. declarat Pontifex permutantes beneficia auctoritate propria simoniam committere, non quidem juris naturalis sed ecclesiastici, cum non detur spirituale pro temporali. Huic accessit decretalis Pauli II, relata in cap. 2, *Cum delestabile*, inter extravag. comm. in qua contra taliter permutantes infligitur excommunicatio quæ, juxta communissimam theologorum et canonistarum opinionem, est latæ sententiæ et Papæ reservata.

« Circa facultatem, in hac et aliis decretalibus episcopo tributam admittendi beneficiorum permutationes, notanda sunt animadversa a Benedicto XIV, lib. XIII, cap. xxiv. *De Synodo diocæs.* n. 6 et 10, ibi: « Permutationes beneficiorum non complectitur bulla S. Pii V, quia, licet ipse in sua constit. XLII suspensam voluerit, quousque aliter statuisset, facultatem qua ordinarii gaudebant admittendi beneficiorum resignationes et permutationes; cum tamen subinde in sua constit. LVIII eandem suspensam facultatem ordinariis restitueret, de resignationibus ita locutus est ut opportuniore quasdam novasque restrictiones et cautelas circa illas induxerit ac statuerit, et de permutationibus ita indefinite decrevit *ad hæc*, *beneficiorum et officiorum permutationes admittere quæ canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur.* »

« Complectitur Piana constitutio permutationes quæ mala fide ac fraudulenter coram ordinariis fiunt, quia S. Pontifex in eadem constit., ut supra dictum est, eas tantum permutationes admitti concedit quæ sint canonicis sanctionibus consonæ: quod perinde est ac dicere quæ respiciunt utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ, aut in quibus permutantium utilitas quodammodo in utilitatem vergat Ecclesiæ. Quapropter, si quæ permutentur beneficia valde disparis redditus, si is qui pinguis beneficium obtinet, profecta jam sit ætate ac infirma valetudine, illudque permutare velit cum beneficio tenuioris redditus, quod suus vel episcopi consanguineus obtinet; hujus-

» modi permutatio non est ad canonum normam exacta, quinimo dolosa est ideoque Piana constitutio adversatur. »

« Requiritur ulterius ex regula XXXV cancellariæ et altera ejusdem Pii constit. *Cogit nos*, 3 martii 1567, ac Gregor. XIII *Humano*, nonis januar. 1583, ut renuntiatio admissa publicetur in Ecclesia cathedrali.

« Hæc autem resignationes factæ extra curiam Romanam, etiam ex causa permutationis in manibus collatorum, ex cit. Gregor. constit. § VII admitti vel rejici debent intra mensem, et sic provisum tenentur eas publicare et beneficii possessionem capere intra tres menses a die factæ provisionis, sub pœna vacationis ipso facto promotionis et beneficii: provisum autem per resignationes et permutationes factas in manibus Papæ, tenentur sub eadem pœna ad dictam publicationem et possessionem intra sex menses citra montes, ultra intra novem a data concessionis gratiæ, non a die præstiti consensus, numerandos. Cf. Adnotationes XLI volum. primi, et LI volum. tertii. »

ADNOTATIO XXVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXII, de *fidejussoribus*, § I, n. 36; pag. 327.

DE REGULARIBUS QUOAD FIDEJUSSIONEM.

« Ex decretali *Quod quibusdam*, cap. 4, hoc titulo, aperte constat quemquam ex regularibus pro aliquo fidejubere non posse, sine sui abbatis et majoris partis capituli licentia. An vero indiscriminatum hoc ei liceat, etiam cum tali licentia, distinguendum esse censeo. Vel enim agitur de fidejussione in re parva, raro facta, ac ex rationabili motivo, et tunc id ei licere cum dicta licentia tenet Pirhing, lib. III. decretal. Tit. XXII, n. 43, Reiffens-tuel, ibid. n. 35; vel agitur de fidejussione in re magna, vel etiam in parva sine rationabili motivo, tunc dicendum est non licere. Ratio primæ partis esse videtur quia abbati et capitulo negari nequit facultas quandoque disponendi ex rationabili motivo de modica aliqua portione reddituum monasterii. Hanc enim facultatem iis competere clare colligitur ex cap. 3, *Ceterum*, de *donationibus*, quam etiam eisdem clare concedit Glossa in can. 52, *Sine exceptione*, caus. XXII, quæst. II. § *Quidquam donare*; eamque comprobatur praxis communiter admissa aliquid donandi benefactoribus ex gratitudine, distribuendi eleemosynas ex misericordia etc... quæ omnia eis licere, sive ea faciant per se, sive per aliquem religiosum doctores omnes consentiunt. Porro si abbas et capitulum possunt per religiosum, ex motivo rationabili, aliquid parvum donare, cur non et aliquando tantumdem fidejubere loco doni? Et quidem est quid plus donatio rei importans actuale distractionem ejusdem quam fidejussio, importans merum distractionis periculum; fidejussor namque is est qui de alterius obligatione, interpo-